

...ration.

4

01

A

55



M. K. 22⁷
(Luth. 43 F. 43.)

I. N. S. S. T.

DISPUTATIO METAPHYSICA

De

SIGNIS DISTIN-
CTIONIS REALIS TAM

VERIS QVAM SPURIIS,

Quam

divina annuente gratia,

Benevolo Amplissima Facultatis Philosophicae indultu,

PRO LOCO

in Eadem Majorum more ritè obtinendo,

PRÆSES

M. PETRUS *Härtel* / Alten-

burgensis Misnicus,

RESPONDENTE

GEORGIO MICHAELE APIARIO,

Cahlâ Thur.

Ad d. Jul.

H. L. Q. Consuetis

publico eruditorum examini subijciet.

J E N Æ,

Literis WERTHERIANIS,

Anno M. DC. LXVI.



VIRIS

Præ-Strenuis, Generosissimis, Maxime Revere-
rendo atque Magnificis

DN. VVOLFFGANGO CUNRADO

à Thumbshirn / Toparchæ in Ponitz / Nobitz / Loh-
ma / Frauensels &c. Sereniss. DUCI Saxo-Alten-
burgensi à Consiliis intimis, Cancellario Eminentis-
simo, Redituumque Ducalium Directori Supremo
Gravissimo.

DN. JOHANNI DIETERICO

à Schönberg; Hæreditario in Mittelsfrohna. Se-
renissimi Ducis Saxo-Altenb. à Consiliis Justitiæ &
Aulicis, Consistoriique Sacri, quod Altenb. est, PRÆ-
SIDI Eminentissimo; nec non Canonico Naumbur-
geni Gravissimo.

DN. GEORGIO CHRISTOPHORO

DREHERO, Jurisconsulto Consummatissimo.
Sereniss. Ducis Saxo-Altenb. à Consiliis Justitiæ &
Aulicis Eminentissimo.

DNNN. Mecænatibus, Patronis atque Promo-
toribus

OPTUMIS,

MAXUMIS,

Hancce solennem Disputationem

sacram f.

M. PETRUS Härtel / Altenb. Misn. Ampliss.
Facultatis Philosophicæ Adjunctus.



I. N. S. S. T.

§. 1.



Riusquam de *signis distinctionis*,
tum realis tum rationis, agamus, operæ
pretium esse putamus, quædam de *di-*
stinctione in genere, in quo nimirum
consistat, & ubi de eâ commodissimè
agatur, nec non de *distinctione reali &*
rationis, in medium adferre.

§. 2. Et primum quidem quod attinet, non una
est Autorum sententia, quidnam sit *distinctio*, & in quô-
nam formaliter consistat, dum alii per *negationem*, alii
per *relationem* eam explicant. Verùm si res penitiùs
paulò consideratur, utraque sententia videtur admitti
posse, quod ut intelligatur rectiùs, sciendũ est, distinctio-
nem posse dupliciter considerari. 1. *à parte rei, non atten-*
dendo, quomodo secundum imperfectum nostrum concipiendi
modum apprehendatur ab intellectu nostro. 2. *quoad no-*
strum eumq; imperfectum concipiendi modum. Si priori
modo spectetur distinctio, videtur mutuam duorum aut
plurium *relationem* importare; quicquid enim distin-
guitur, ab altero distinguitur, & sic ad alterum per hoc
ipsum, quòd ab eo distinguitur, relationem habet. Si
verò consideratur *distinctio modò posteriori, seu secun-*
dum nostrum concipiendi modum, videtur consistere in *ne-*
gatione, cùm res distingui concipiantur à nobis, quando
concipiuntur, quòd una non sit altera.

§. 3. Commodissimè autem de distinctione vide-

A 2

tur

tur agi in *Metaphysicis*, ubi agitur de *Eodē & diverso*. Cum enim ratione unitatis ens sit vel idem vel diversum, diversum autem certo distinctionis genere ac modo distinguatur ab eo, à quo est diversum, facile patet, quòd, ubi de *Diverso* agitur, commodè quoque agatur de distinctione.

§. 4. Quod autem nunc attinet *distinctionem realem*, monendum est, quòd appellatio realitatis ipsi dupliciter tribui possit, i. quatenus spectatur secundum se, 2. quatenus spectatur ratione extremorum, ut scilicet dicatur realis, quia est inter realia extrema. h. l. priori modo realis dicitur, & nihil aliud est, quam quando aliqua *citra mentis operationem distinguuntur*. *Mendoza disputat. Metaph. VI. sect. 1. §. 3.* ita definit: *distinctio realis est essentia cujusq; rei explicata per negationem alterius conceptus; & utitur hoc exemplo; distinctio, air, substantia ab accidente est essentia substantia explicata per negationem accidentis; distinctio autem accidentis à substantia est accidentis essentia explicata per negationem substantia.*

§. 5. Hæc autem secundum *Excellentissimum Stablium* aliosque iterum est vel *positiva* vel *negativa*: *positiva* est, quæ est inter duo entia v. g. *cælum & terram, albedinem & dulcedinem*; *negativa* verò est inter ens & non-ens, aut inter ens & privationem ejus, aut inter duas *negationes vel privationes*, ut inter *hominē & nonhominē, inter visum & cæcitatem, inter mortem & cæcitatem &c.* Ubi adhuc nota I. quòd hæc distinctio nomen sortita sit ab *extremis*; quòd nempe *extrema* sint vel *positiva* vel *negativa*. Si igitur *extrema* sunt entia realia *positiva*, *distinctio* ipsa *positiva* vocatur; si verò alterum eorum vel utrumque est *privativum* vel *negativum*, *distinctio* dicitur *negativa*: II. notandum, quòd *realis negativa*,
quæ

quæ est inter *ens* & *non-ens*, vel inter *ens* & *privationem*,
vel inter *non ens* & *non-ens*, non adeo strictè possunt pro-
priè dictam distinctionis relationem aut fundare aut ter-
minare; notum enim est ex *Mendoza* l. c. res non per mo-
dum iis superadditum, nec per negationem, sed per pro-
priam entitatem distingui, & provocat ad tritum illud:
per eundem conceptum, quo res constituitur in se, distingui-
tur ab aliis; privationes itaq; & negationes, ut nō habent
entitatem sed in τὸ non-esse consistunt; ita juxta mentem
Mendozae aliorumque (quibus realis distinctio strictè di-
cta est tantum inter positiva) non possunt propriè & stri-
ctè distinctionis relationem fundare, sive cum positivis,
quibus oppositæ sunt, sive cum aliis privationibus & ne-
gationibus conferantur: Nihilominus tamen referun-
tur distinctiones illæ, quæ non sunt inter positiva vel stri-
ctè dicta realis distinctio, ad realem distinctionem in la-
tiori significatu, quatenus nempe citra mentis operatio-
nem hæc distincta sunt, ut v.g. *non-homo* ab homine, *visus*
à cæcitate differunt: vide *Plurim. Reverendum atque*
Excell. Dn. D. Petrum Musæum, instit. Metaph. c. 34. §. 4.
9. p. 440. unde & Paulus Voët. in reformata Philos. c. 10.
sect. 14. num. 3. p. 235. rem ita proponit: distinctio est vel
realis vel rationis; realis est vel strictè sic dicta, quæ est in-
ter rem & rem vel latè sumta quæ vel est inter rem & mo-
dum & dicitur aliàs modalis, vel inter rem & negationem,
vel inter rem & privationem, vel inter non-ens & non-ens:
vel formalis; inter genus & speciem, inter partem & totum,
vel inter predicata omnia inferiora & superiora, inter per-
sonam & personam in divinis; in quibus tamen nonnulla
sunt, quæ admitti vix possunt. vid. & Armand. de Bello
Visu in Explic. Term. tract. 1. c. 208. Nicol. de Orbellis in
lib. phys. c. 3.

§. 6. *Distinctiōem Rationis* quod attinet, variè à variis illa explicatur, aliter enim explicat *Ramus*, aliter *Aristoteles*, aliter Scholastici, & hisce quidem est *distinctio Rationis*, qua fit per conceptus formales ejusdem rei inadæquatos, & ferè fit in ordine ad diversa connotata: Notamus autem hic cum *Excell. atque Ampliff. D. Bechmanno Log. & Phil. Primæ P. P.* cui propter fidelissimam informationem & alia innumera beneficia plusquam ipsam debeo vitam; in prælection. publicis. in *Tab. Metaph. B. Stablii XX. seqq. 1.* quòd dicatur in hâc definitione; quòd fiat per conceptus formales; datur enim duplex conceptus, *formalis & objectivus*; ille est ipse actus, quo res aliqua concipitur vel cognoscitur: hic verò est res ipsa, quatenus cognoscitur ab intellectu; non de hoc, sed de illo, *formali* nempe, in definitione sermo est, ut sensus sit, *distinctiōem rationis* fieri per diversos actus nostri intellectus, seu quando eadem res alio atque alio actu concipitur. 2. quòd dicatur: *eiusdem rei inadæquatos*; *formalis* enim rei conceptus est iterum duplex 1. *adæquatus* 2. *inadæquatus*: *adæquatus* est, qua tota rei natura seu omne id, quod continetur in ea, concipitur ab intellectu; *inadæquatus* vero, quo res non concipitur & apprehenditur tota v. g. *homo*, quando concipitur ut *animal rationale*, est adæquatus conceptus; si verò saltim concipitur, ut *animal* est, est conceptus inadæquatus. 3. quòd dicatur: *fit in ordine ad diversa connotata*. Per *connotata* intelliguntur ea, ad que res diversis modis concepta respectum habet, e. g. *essentia DEI* habet respectum ad actum miserendi & puniendi: hi igitur actus sunt connotata, & horum respectu fit *distinctio rationis*, qt. scil. sicut hæc distincta sunt, ita etiam distincti conceptus formantur in essentia divina; & sic sensus totius definitionis est hic: *Distinctio Rationis est, quando*

quando intellectus noster de eadem re ob diversa connotata, ad quæ respectum habet, diversos & distinctos sibi format conceptus seu actus, seu in eadem re plura distincta concipit, quæ in re ipsa distincta non sunt, ut quando de essentiâ divina intellectus plures format conceptus attributorum, cum tamen plura in re ipsa non sint, sed ob respectum ad diversa connotata saltem ut plura concipiuntur, & sic inter attributa illa est *rationis distinctio*.

§. 7. Verùm non desunt, quæ in hâc *definitione Scholasticorum* possunt desiderari. Nam quòd dicitur, eam fieri in ordine ad diversa connotata, id universaliter non est verum. Interdum enim *unum* saltem eorum, quæ ratione distinguuntur, *connotatum* habet, alterum vero nullum: e. g. cum dico, *essentiâ & DEI justitiâ* ejus distinguere ratione, utrumq; horum non habet connotata, sed tantum *justitiæ* competit, tanquã connotatum, actus puniendi, *essentiæ vero divine* nullum planè tribui potest connotatum. Imò datur *distinctio rationis* inter illa, quibus nulla planè respondent *connotata*, sed quæ diversas saltem rationes formales habent, cum à parte rei unum sunt: e. g. *ens & unum* ratione distinguuntur sine diversis connotatis: unde in *definitione allata* sunt addenda hæc: quòd fiat *distinctio Rationis*, vel *ob diversa connotata*, vel *ideo quòd unum habeat connotatum, alterum non habeat*, vel *etiam ob diversas saltem rationes formales*.

§. 8. Hanc autem distinctionem malè applicaverunt Noëtiani, qui teste Epiphaniol. 2. Tom. 1. Hæres. 57 dicunt *personas divinas h. m. nempe ratione seu nostro concipiendi modo differre, non verò realiter*: Omnino enim personæ divinæ realiter differunt; cum Pater genuerit

Fili-



Filium, & Filius à Patre sit genitus, & Sp. S. ab utroque procedat, quamvis essentia eorum una tantum sit.

§. 9. Porro *distinctio rationis* est vel *rationis rationantis: vel rationis ratiocinatae*. Illa secundum communem sententiam dicitur fieri ab intellectu absque ullo fundamento in re, quando intellectus aliquid distinguit, ita ut à parte rei vel in re planè non distincta sint, & repetit tantum unum conceptum & sic plura facit: *hæc verò, nempe rationis ratiocinatae*, est, quæ habet fundamentum in re ipsa, & hoc fit, quando eodem res sub diversis conceptibus inadæquatis vel rationibus formalibus concipitur; v.g. *animal rationale; essentia divina & ejus attributa*.

§. 9. Etiam si ex hætenus dictis satis patet, distinctionem hanc, quæ nempe est in realem & rationis, involvere rationes contradictorias, & ex hoc esse bonam & optimam, tamen sunt plurimi, qui, *mediam* aliquam distinctionem inter hanc dari, multis asserunt: Variant autem hic autores ipsi & non pauci sunt, qui hæc de re scripsere: præprimis operosi sunt *Scotista & Thomista*, quos vide apud *Suarez. Disp. Met. VII Sect. i. Antonium Bernaldum de Quiros select. disput. Tract. II. sect. 2. seq. it. Joan. Lalemandet Bisundin. ordin. Min. Philosoph. Disp. Metaph. III. p. I. partitione 1. n. 1. p. 677. & alios*.

§. 10. Ut tamen res clarior fiat, paucis adhuc, an ea membra, quæ tanquam media inter realem & rationis distinctionem ab aliis adferuntur, aliquid evincant, videbimus; *Primò* igitur producant nonnulli *Modalem* distinctionem, quæ nihil aliud est, quàm *distinctio inter rem & ejus modum*; v.g. inter Petrum & sessionem Petri; dicunt hi autores, ut *Suarez. Disp. Metaph. 7. Sect. 1. n. 19.* hanc esse minorem reali, majorem autem rationis distin-
ctio-

atione: verum Resp. *realis distinctio* dupliciter considerari potest, 1. *latius*, quatenus nihil aliud est, quam quando *quaedam distincta sunt citra mentis operationem*: 2. *strictius*, quatenus nempe est tantum inter rem & rem: *Priori modo*, si sumitur, *realis distinctio*, tunc *modalis* est nihil aliud, quam *realis*, nec ea minor; citra mentis operationem enim *Petrus & sessio* ejus sunt distincta: si vero *posteriori modo* sumitur, conceditur quidem, eam non esse *realem strictè* sic dictam, sed exinde non sequitur, eam planè non esse *realem* vel *minorem reali*, quamvis res majus quid sit suis modis.

§. 10. Deinde sunt, qui *potentialem* pro medio aliquo inter *realem & rationis distinctio* membro agnoscunt. Est autem *potentialis distinctio* illa, quæ partes integrantes continui, dum in eo sunt, inter se distinguuntur: vocari autem solet *potentialis* ideò, quia quælibet harum partium habet potentiam, per quam seorsim sumta etiam totum esse possit; sicut *manus* seorsim sumta est totum aliquod. Verum nec hanc mediam esse distinctioem patet, quia ea est nihil aliud, quam distinctio *realis*; notum enim est, quòd continuum sit id, quod extensum sit in plures partes & per hoc etiam divisibile in partes, ita ut una pars ab altera separari possit; quid verò hoc aliud est, quam realiter differre, cum *separabilitas* sit infallibile signum *realis distinctiois*, de quo infra pluribus.

§. 12. Porro quidam *formalem* tanquam medium inter membra allatæ distinctiois agnoscunt; Est autem *distinctio formalis* nihil aliud, quam quando *quaedam distinctas habent rationes formales*; hæ rationes formales autem interdum *citra mentis operationem* distinguuntur, interdum verò non. Si jam *distinctio formalis*

B

est

est inter ea, quæ *citra mentis operationem* distincta sunt, *realis distinctio* est; si verò est inter ea, quæ non *citra mentis nostræ operationem* sunt distincta, sed saltem *secundum mentis operationem*, tunc pertinet ad *distinctionem rationis*; & ita hæc distinctio, nempe *formalis*, media inter *realem & rationis distinctionem* esse non potest, quia certo respectu ad *realem*, certo verò respectu ad *rationis distinctionem*, ut ostensum fuit, referri potest.

§. 12. Denique acriter tanquam *mediam* propugnant illam, quæ dicitur *ex natura rei*; quæ *secundum Fonsecam* est, *quâ quid distinguitur ab altero præcisa operatione intellectus*: vel ut *Ursinus Diss. de distinct. real. Quest. XVI.* habet; *quæ in re fundamentum habet, & inter illa est, quorum alterum pertinet ad alterius perfectionem.* Verum utroque modo intellecta non evincit, quod sit *media inter realem & rationis distinctio*: *Priori* enim si sumitur sensu, aperte est *realis*, ratio est, quia est *citra intellectus operationem*; *posteriori* modo & sensu *Ursini* si sumitur, iterum est *realis*; consistit enim in hoc, quod unum ad alterius perfectionem pertineat, vel quod unum perficiat alterum, at verò, quæ ita se habent, ut unum perficiat alterum; illa differunt *realiter*: unum enim seipsum perficere non potest. Plura hac de re qui desiderat, potest videre *B. Dn. Slevogt. Diss. Theor. XVII. de princip. syllog. in divinis. th. 15. it. Diss. II. de Contradict. §. 34. it. Bernard. Arnold. de Quiros. l. supra. c. Plurim. Rever. atque Excell. Dn. D. P. Museum, in Instit. Metaph. l. c. B. Stahlium in Instit. Metaph. c. 33. aliosq.*

§. 13. Cum igitur de ipsa *distinctionis realis & rationis natura & constitutione* pro ratione instituti satis egerimus, propius non nihil ad rem ut accedamus, necessarium videtur; nempe ut de ejus, & præprimis de *realis*
distin-

distinctionis, signis quædam proponamus; *Signa* igitur *realis distinctionis* quod attinet, constituuntur ea sanè ab Autoribus non pauca, & multi in diversas abeunt sententias; nos ordine processuri *prius spuria*, h. e. illa signa proponemus, quæ certò & infallibiliter distinctionem realem non arguunt, sed ita se habent, ut, licèt ponantur, realis tamen distinctio non ponatur: *deinde demum vera & genuina realis distinctionis signa* sistemus.

§. 14. *Primò* itaq; pro vero & infallibili signo producitur hoc, nempe *quæ diversas habent definitiones, illa realiter differunt*. In hoc decepti sunt præprimis *Photiniani* & nominatim *Goslavius*, qui in *Refut. Keckerman. p. 9.* inter alia ita ait: *Essentia Dei, per quam DEUS, est & intellectus differunt: si eadem ista sunt, definitio utriusque erit eadem. & p. 13. Neque enim concedimus Dei voluntatem esse ipsum Deum. Aliàs voluntatis & Dei eadem esset definitio, quod falsum*. Ex his necè potest tale argumentum:

Quæ idem sunt, habent eandem definitionem.

Atqui DEUS & intellectus, it. voluntas, non habent eandem definitionem.

E. DEUS & intellectus it. voluntas non sunt idem. Majori robur accedit ex illo *Aristot. 6. Top. 4. §. 2. unius rei unica est definitio*. *Minorem* forsan ex terminis patere dicunt; aliter enim definitur *Deus*, aliter ejus intellectus, aliter ejus voluntas.

§. 15. Verùm allatum signum pro distinctione reali, ita absolutè intellectum, falsum esse paucis ostendemus; quod ut rectiùs fiat, sciendum est, posse *definitiones diversas* dici dupliciter. (1.) illæ *definitiones sunt diverse*, quæ diversas & citra mentis operationem di-

distinctas explicant essentias: quâ ratione diversæ sunt definitiones, quarum altera essentiam animalis altera essentiam scientiæ explicat. 2. *definitiones diversæ* dici possunt, quæ eandem essentiam, diversiô tamen modô conceptam, explicant: e. g. cum eadem res definitur, ut in definitione mentio fiat modò partium Physicarum, nempe *materia & forma*, modò Metaphysicarum, ut cum e. g. homo jam definitur, quod sit substantia constans corpore organico & animâ rationali. Quod nunc attinet definitiones priori modo diversas, conceditur, quod, quæ eô modô habent diversas definitiones, habeant diversas essentias, ut patet ex iis quæ dicta sunt; verùm quæ diversas habent definitiones posteriori modô, de illis negatur, quòd realiter differant. Sicut enim eadem res alio atque alio modo concipi, ita etiam aliâ atque aliâ definitione definiiri potest, ut sic habeat diversas definitiones posteriori modo; at verò eandem rem à seipsâ realiter differre, absurdum est.

§. 16. Hisce præmissis ad argumentum ex verbis *Goslarvii* formatum facilis videtur esse responsio. Potest enim Major in eo dupliciter intelligi; (1.) h. m. Quæ habent diversas definitiones priori modo, realiter differunt. Sed h. m. negatur Minor, quòd *DEUS, intellectus & voluntas divina* habeant diversas definitiones, quæ explicant diversas essentias, & dum Photinianus hoc asserit, petit id, quod in principio. 2. h. m. quæ diversas habent definitiones posteriori modô, illa realiter differunt: sic major est falsissima, ut patet ex præcedentibus.

§. 17. *Secundò pro signo realis distinctionis infalibili venditant illud, quando dicunt: quæ realiter differunt, semper differunt essentia: in hoc iterum*
fal-

falluntur Photiniani, ut supra adductus Goslavius part. I. Refut. Keckerm. p. 4. qui ex hoc impugnat mysterium S. S. Trinitatis, & ex eò hoc absurdum deducere conatur, quòd tres sint essentia divina, quia ubi realis est distinctio, ut in divinis personis conceditur, ibi etiam diversa essentia sint, necesse est. Si E. tres sunt personae divinae realiter distinctae, sequitur inde, tres quoque esse essentias divinas, tres DEOS, quae absurda: Ut mens ejus dilucidius pateat, adducemus ipsa ejus verba: ita enim inquit; *Hunc locum (nempe ex Matth. 3. v. 16.) vocat Keckermannus manifestum Trinitatis testimonium. Sed fallitur, meo iudicio, vehementer. Non tantum hac de causa, quòd hinc non appareat Spiritum, esse, personam: sed etiam hoc dato, quòd demonstrari nequeat, tres istas personas unica gaudere essentia: Tum quòd ex hoc loco contrarium appareat manifestè. Nam Pater de caelo loquitur, Filius in Jordano mergitur: Spiritus descendit. Quare si, ut ait Melanchthon, quod ipsum Keckerm. p. 59. probat; Regula certa est, distingui realiter omnia, quae separari invicem à se possunt, sequitur, Patrem, Filium & Spiritum Sanctum realiter distingui. Separantur enim à se invicem. Nam non descendit Pater de caelo, nec in Jordano baptizatur. Nec Spiritum Sanctum appellat Filium, aut lavatur aquae baptismo. Quae verò realiter distinguuntur, ejusdem essentiae singularis esse nequeunt. Opponuntur contradictoriè realiter distingui & eadem esse essentia numero. Argumentum in forma erit tale.*

Quaecunque realiter distinguuntur, non habent eandem numero essentiam.

Pater Filius & Sp. S. realiter distinguuntur. E. Majorem probat per haec verba, quando dicit; opponuntur contradictoriè, realiter distingui & ejusdem numero

essentiæ esse. *Minorem* probat ex eo, quia à se invicem separantur; atverò separari posse à se invicem est certissimum signum realis distinctionis.

§. 18. Non procul ab hoc recedere videtur *Valentinus Smalcus lib. de divinitate Jesu Christi c. 12. p. 70.* Cum verò audimus, vulgus Christianorum ita differere, quòd, dum Filius DEI apud DEUM fuisse dicitur, distinctio personarum innuatur, non autem essentiæ; fatemur, nos ista intelligere non posse, quomodo persona differat ab essentia, quæ numero sit una & simplicissima, ita ut plures unâ personæ esse possint in essentia, quæ numero sit una, qualis est DEI essentia. Sed credimus constantissimè, tot esse oportere essentias numero unas, quot personas racionales, & vicissim tot personas, quot essentias numero unas &c.

§. 19. Verùm etiam hoc signum, à *Goslavio* assignatum, non est perpetuum. Neque probatio à *Goslavio* adducta alicujus est momenti. Dicit, quòd opponantur contradictoriè *realiter distinguere, & eandem essentiam esse.* Ad quod ut respondeatur, præmittendum, quòd aliqua contradictoriè opponi possint dupliciter, (α) *formaliter* (β) *virtualiter.* Si *Goslavius* intelligit probationem suam de contradictione formali, quod hæc duo, *realiter nempe distinguere, & eandem essentiam esse,* opponantur contradictoriè formaliter, quilibet videt, hoc falsum esse, qui intelligit, quid sit formalis contradictio. Si autem intelligit contradictionem virtualem, probatio huc redit, quod ex hisce, *aliqua realiter distinguere & ejusdem essentia esse,* sequantur contradictoria, nempe hæc: *aliqua realiter distinguere & realiter non distinguere.* (cum ejusdem sint essentiæ) Verùm si attentius paulò considerantur requisita veræ contradictionis.

ctio.

tionis, facilis erit responsio. Nam inter requisita contradictionis etiam hoc est, quod servari debeat respectus ad idem, quod in adductis contradictoriis non fit. Possunt enim aliqua distingui certo respectu, ut tamen alio respectu non distinguantur. Ita v.g. *homo* potest distingui à seipso & non distingui: potest distingui à se ipso respectu accidentis, v. g. *ut albus est*, & non potest distingui à se ipso, *ut homo est*. Similiter personæ divinæ, quæ ejusdem sunt essentiæ, distinguuntur quoad proprietates personales, & non distinguuntur ratione essentiæ. Cæterum, quod in probatione *Minoris* dicitur à *Goslavio*, personas divinas à se invicem separari; obiter monemus, etiam hoc falsum esse. Quod ut intelligatur rectius, sciendum est, aliqua posse dici separata duobus modis 1. *per se* 2. *per accidens & ratione alterius*. *Per se* illa dicuntur separata, quæ diversis existentibus seorsim existunt, qua ratione v. g. *cælum & terra* sunt corpora separata: *Per accidens* vero separata sunt illa, quæ verâ eademque existunt existentia, per aliud atque aliud tamen manifestantur vel significantur. Si *Goslavius* separationem personarum divinarum intelligit priori modo, petit id, quod est in principio, & tamdiu negatur, eas *per se* separari, quamdiu non probatur, personas divinas diversas essentias vel existentias habere. Si verò posteriori modo sumitur separatio, potest ea concedi; verum talis separatio non cadit in ipsas personas divinas, sed potius in illa, in quibus manifestantur, ut scilicet hæc, non illæ, diversas & separatas habeant existentias. Unde non est, quod urgeat *Goslavius* diversas apparitiones, nihil enim aliud obtinet, quam separationem per accidens, quæ non in personas divinas cadit, ut modò dictum est. *Smalcium* quod attinet, & quod ille
non

non potuerit intelligere, quomodo tres personæ possint unam tantum habere essentiam, hoc sibi ipsi impu-
tet. Ex Scriptura sacra enim certum est, hoc omnino
posse fieri, & nos etiam constantissimè credimus, quod
non semper, quæ realiter differunt, differant etiam
essentiâ.

§. 20. Tertiò, pro certissimo signo realis distin-
ctionis venditant hoc: *quæ differunt ut constituens
& constitutum, illa differunt realiter.* Ast hoc
iterum perpetuum & infallibile non est; dantur enim
exempla, quæ se habent ad se invicem ut constituens
& constitutum, quæ tamen realiter non differunt e. g.
differentia specifica est constituens; *species* autem est
constitutum; constituta enim est à differentia: falsum
tamen est, quòd differentia & species realiter differant.
Quæcunque enim de se invicem prædicari possunt, verè
inter illa realis distinctio esse non potest. Major clara est,
quia ut aliqua prædicari possint de se invicem, requiri-
tur identitas, quæ cum reali distinctione consistere non
potest.

§. 21. Quartò pro realis distinctiois signo habe-
tur & hoc: *quando aliqua differunt ut causa &
causatum.* Verùm etiam hoc non est perpetuum.
Nam *causa* sæpiùs (in primis in doctrina de demonstra-
tione) illud dicitur, quod verum influxum non præstat,
neque effectum à se distinctum producit, sed saltim à
nobis ut causa concipitur, ita, ut si id, quod effectus di-
citur, haberet causam propriè & rigorosè dictã, hoc suf-
ficiens esset causa. De tali igitur causa dici non potest,
quòd realiter differat à causatò. e. g. cum demonstratur
DEI æternitas per ejusdem immutabilitatem tanquam
causam, hæc ab æternitate realiter differre nequit, ut fu-
sius

sius posset ostendi, nisi res clara esset. Idem sentiendū de eo, quòd vulgò illa realiter differre dicuntur, quæ differunt, ut *continens & contentum*; nam neque hoc perpetuum est, cum Species contineat differentiam, à quâ tamen realiter non differt,

§. 22. *Quinto*; falsum quoq; est illud, quod tanquam *realis distinctionis* signum profertur, hoc nempe: *quæ diversas operationes habent, realiter differunt*: ab intellectu enim & voluntate diversæ imò diversissimæ oriuntur & proveniunt operationes, nec tamen intellectum à voluntate realiter differre faciunt.

§. 23. *Sextò*; sunt, qui verum signum realis distinctionis tale constituunt, nempe: *quæ quoad locum differunt*: seu *quæ in diversis sunt locis, illa realiter differunt*: Hoc decepti sunt Calviniani, cum negant, Christi corpus non posse esse præsens in Sacrà Eucharistiâ, quia, si esset in pluribus locis, realiter à se differret, quod tamen falsum: argumentum potest esse tale:

Si Christi corpus in sacrà Eucharistiâ est in diversis locis præsens, sequitur, quòd Christi corpus realiter à se differat, sed posterius est falsum E. & prius.

§. 24. Verum signum allatum etiam falsum est, & non semper procedit; quod Calvinianos attinet negamus in argumento consequentiam; probant eam quidem h. m. quia idem numero corpus non potest esse in diversis locis simul & eodem tempore. Sed *qz. neg.* jam dudum enim contra Calvinianos & in specie contra *Chamierum* à nostratibus Philosophis evictum est, quòd idem numero corpus uno eodemque tempore, quamvis non naturaliter, tamen per absolutam DEI potentiam in pluribus locis totalibus esse possit; de

C

quo

quò, si plura desiderantur, in conflictu ea quoad fieri potest defendemus; Videatur Excell. Bechmannus in Disp. de hâc quæst.

§. 25. *Septimò*; Nonnulli putant hoc; nempe, *qua tempore differunt, distinguuntur realiter*: esse verum realis distinctionis signum; verum falsitatem hujus signi satis luculenter ostendit & demonstrat illud, quòd aliquando in die novissimo idem numero corpus sit resurrecturum, quod habuit homo in hâc vita; tale corpus igitur à se ipso differt ratione temporis, quis verò dixerit corpus, quod habuit homo in hâc vitâ, & corpus, quod aliquando resurget, differre realiter? sanè hoc admissio, admittendum erit, non resurgere eundem hominem, qui aliquando vixit, ex quo, quanta absurda proveniant ostendunt Theologi, quos vide.

§. 26. *Octavò*; Errare videntur illi, qui realis distinctionis signum constituunt tale: *qua sunt in diversis predicamentis illa differunt realiter*: perpetuum enim & infallibile hoc non est, nam potest una eademq; res aliter atq; aliter cõcepta in diversis esse predicamentis, quæ tamen à se ipsâ realiter non differt; ut videre est ex seq. *Calefactio* ut ab igne procedit, est actio & consequenter in predicamēto actionis: *calefactio* verò prout in aquâ recipitur, & hæc calefieri dicitur, est passio, & in predicamento passionis, non tamen differt actio & passio realiter.

§. 27. *Nonò*; Neque illud verum & infallibile *realis distinctiones* signum constituit; quando dicitur: *qua diversa habent predicata, illa differunt realiter*. Vitium enim statim apparet, si considerantur sequentia exempla; nempe *essentia divina*, de quâ dicitur

quo

tur, quòd sit incommunicabilis & cùm ea unum idemq; quoque sit cum hypostasi divina; de illa etiam dicitur, quòd sit incommunicabilis, ubi sanè de eadem re diversa percipis prædicata; similiter de *intellectu hominis* dicitur, quòd præbeat assensum, & quòd dissentiat, quæ sunt prædicata diversa, ut verò intellectus à se ipso realiter non differat. De *voluntate* dicitur, quod, appetat & avertatur nec tamen voluntas à se ipsâ realiter differt. Et tantùm de signis realis distinctionis spuriiis; plura si dantur, videantur Aa.

§. 28. Reiectis itaque hætenus signis realis distinctionis spuriiis, ad ea nos convertemus, quæ sunt vera & genuina signa.

§. 29. *Primum* itaque est, quando aliqua sunt in diversis suppositis, vel sunt ipsa diversa supposita, illa realiter differunt: e. g. *Alexander & Darius* realiter differunt, quia sunt diversa supposita: *fortitudo* in *Alexandro*, & *fortitudo* in *Dario* etiam differunt realiter, quia sunt in diversis suppositis. Possunt huc quoque referri suppositum & id quod est in alio diverso supposito, ut *virtus Darii & Alexander*. *Mendoza* quidem cautelam affert, dicens, se loqui de signo evidente ex natura rei desumpto; arbitratur enim fieri posse per absolutam DEI potentiam, ut eadem numero albedo sit simul in *Andrea & Johanne*; sed hæc suo loco relinquimus.

§. 30. *Secundum* signum realis distinctionis esse dicitur; quando quedam se habent inter se, ut *producens & productum*; ita ut producens per veram actionem in aliud influat; v. g. *faber & clavus*, qui à fabro producitur; *Fundamentum & ratio* hujus signi

est, quòd idem se ipsum producere non possit, repugnât enim aliquid esse, & deinde seipsum demum produci, sequitur enim h. m. aliquid esse prius seipso & posterius seipso, quæ, quomodo sine contradictione dici possint, non apparet.

§. 31. *Tertium signum realis distinctionis est hoc: Illa realiter distinguuntur, quorum alterum ab altero est separatum vel, realiter potest separari: & hoc reliqua signa complectitur.* Huic autem signo Autores, imprimis *Suarez*, admodum multum tribuunt, imò à multis distinctionis realis signum domesticum nominatur; Notanda autem circa hoc signum sunt sequentia: I. quòd dicatur *realiter separari*: duplex enim, uti notum est, est separatio, *realis & rationis*; *realis* quâ reverà aliquid ab aliquo removetur, ut cum à *partiete albedo*, ab animali *visus* vel *auditus* tollitur. *Rationis*, quando per operationem intellectus aliquid ab aliquo removetur; quando v. g. mens uno remoto concipit alterum, aut uno concepto non concipit alterum; quæ posteriori modo separantur, ea non necessario realiter distinguuntur, ratio est, quia intellectus ea quæ sunt eadem potest à se invicem separare. II. Notand. quòd *separatio* possit fieri dupliciter, vel per *agens naturale*, vel per *supernaturale* impræsentiarum perindè est sive per *naturale* fiat sive per *supernaturale*; prius enim si fieri nequit sufficit posterius, quæ enim per absolutam Dei potentiam separari possunt illorum unum non est alterum, & sic etiam realiter differunt. III. Notand. quòd secundum Autores *separatio* sit vel *mutua*, vel *non mutua*; illa nempe *mutua* est, quando utramque separatorum seorsim in rerum natura existit, post separationem sive fiat naturaliter v. g. quando *anima* separatur

ratur à corpore, sive fiat per absolutam DEI potentiam; ut, quando ex quorundam sententia, accidens dicitur separari posse à subjecto, ut tam subjectum quàm accidens absque subjecto existat. *Hæc* verò, nempe *non mutua*, est, quando uno separatorum manente superstite, alterum interit; ast tamen non vice versâ; e. g. modus ex se & naturâ suâ à re cuius modus est, non potest separari, ut seorsim existat ne quidem per potentiam DEI absolutam, sic *præsentia Pauli* in foro potest separari & abesse à Paulo, quòd Paulus fortè alibi in domo scilicet vel alio in loco quàm in foro præsens sit, at ut *præsentia Pauli* sit in foro absente Paulo, planè non potest fieri. vide si lubet Lalemand. l. c. & B. Stahlum l. c.

§. 32. Malè autem hoc signum adhibetur, cum à Photinianis, uti ex superioribus notum est, tum à Pontificiis; hi enim hoc signo abuti videntur, quando dicunt; *verbum DEI scriptum & non scriptum, & scripturam sacram* differre realiter, quia nempe aliquando actu fuerunt separata, & etiamnum separari possunt.

§. 33. Verùm possumus illis sano sensu (quem tamen vix obtinent) concedere; considerari enim potest *Scriptura sacra* vel *materialiter*, vel *formaliter*: *Materialiter*, ratione rerum divinarum literis expressarum; *formaliter*, ratione scriptionis, seu quatenus res sacræ & divinitus revelatæ in scripturam fuerunt redactæ, priori sensu si intelligitur *verbum DEI*, conceditur, quòd realiter fuerit separatum & adhuc separari possint à scripturâ sacrâ, ratione scriptionis spectatæ; posteriori verò sensu in totum negamus, quòd fuerint separata & separari possint, *materiale enim scripturæ* est nihil aliud quàm *verbum DEI*, quod in formam literarum & scripturæ est redactum.

§. 34. Proferenda nunc essent quædam *de signis
distinctiois rationis*; sed poterit hæc distinctio fa-
cile intelligi non solum ex illis, quæ circa definitionem
ejus adduximus, sed etiam ex signis realis distinctiois,
unde his thesibus nostris etiam ex penuriâ
temporis ponimus

T E R M I N U M.

C O R O L L A R I A.

- I. Principium latius est causa
- II. Principium prius principiato.
- III. Negatio negat, quicquid post se invenit.
- IV. In propositionibus personalibus disparatum de dispa-
rato prædicatur.
- V. Transportationem sagarum in montem Brueterum in-
terdum veram, interdum imaginariam esse; neutrum ab-
surdum esse videtur.
- VI. Corruptio certo respectu naturalis, certo verò respectu
non naturalis est.
- VII. Utrum Moses illa scâ conscientia potuerit interficere vi-
rum Ægyptium? N.
- IIIX. An salva conscientia res amissæ per divinationem ma-
gicam inquiri possint? N.
- IX. Legatus præter terminos mandati, seu præter id in quo
instructus est, omninò aliquid potest facere.
- X. Arma auxiliaria, sive etiam fœdera aliarum Rerum publi-
carum usurpare, rejiciendum planè non est.
- XI. An probandum sit, quòd quidam durante bello potius
medii sint & cum utraq; parte fœdus alant, quam qui se
partibus immisceant, uel an Neutralitas sit approban-
da? A.
- XII. An Constantinus Magnus Imperator Sylvestro Papæ
donaverit Urbem Romam & omnes Italiae Provincias,
loca & civitates? N.
- XIII. Semiramidem Venerem fuisse, non sine ratione asseri
posse videtur.

In ge-

I Ngenio quantum valeas, quantumque labore
Assiduo excellas plures, Vir Clare, Sodales,
Testatur toties à Te repetita cathedra,
Atque Strophæ, tricæque Tibi dextrè resolutæ.
Testatur pariter venerabilis ordo sophorum,
Pulcra Tuis meritis hodiè dum præmia cernit.
Applaudo, Jovamque precor, Te servet, & istis
Porrò bonis addat bona plurima, Munus, Honores.

Benevolentia testanda causâ appon.

JOHANNES MUSÆUS, D. & P. P.

CL. V.

DN. M. PETRO Hærteln / SS. Theol. Cult. strenuo, nec non
Ampl. Coll. Philos. Adj. dignissimo.

In Augurali disputatione Salana nostra valedicenti

FELICITER!

D Ûm Patris Patriæ Sanctissima justa sequutus
Salanam linqvis, commoda mille precor.

Affectui & quidem singulari testando L. M. Q. scribebam.

JOH. ERNESTUS GERHARDUS, SS. Th. D.
& Prof. Publ.

Q Uos Tibi nunc iterum Phœbus decernit honores,
Felices jubeat maximus esse DEUS!
Ille tuis studiis adspiret Flaminis auram
Usque sui & mentem dirigat usque tuam!

Cl. Dn. Adjuncto, Amico suo dilecto ita gratulatur

SEBASTIANUS NIEMAN / SS. Th. D. & P. P.

Q Uàm distet ficto verum, quàm discrepet orbe
Angulus, Hærtelius docto sermone docebit.

Honoris causâ eruditiss. Dom. Hærtelio deproperab.

JOH. FRISCHMUTH / P. P.

S Iгна hęc Te Signant: distinguunt hęc Tua signa
Te satis à vulgo. Gratulor ergò Tibi.

*Gratul. Cl. Dn. Presidi, Commensali
per dilecto apposuit*

FRID. BECHMANN / P. P.

VIRO

V I R O *Pre-Clarissimo,*
Dn. M. P E T R O *Härtelii/ S. S. Theol. Cultori*
felicissimo,
cum

Post edita quàm plurima eruditionis haud vulgaris, dili-
gentiæ æmulandæ, & virtutis integræ specimina, adqui-
sitamque his nominibus laudem conspicuam,

L O C U M

Inter Adjunctos Facultatis nostræ meritissimo suo consequeretur,
Bonorum Favorem, Malorum invidiam P.

* * *

T E, Vir Clare, novis dignissimum Honoribus esse,
Pol scitè signant *Signa polita* Tua.

Deprop.

GEORG. GOEZIUS, Moral. Prof. Ordin.

Madrigal.

Ein Zena reichte dir/
Als du durch Fleiß den harten Fels erstiegen/
Den Palmenzweig/ die überschöne Zier/
Zu Lohne vor dein Siegen:
Nun/da dein Geist sich weiter noch verrathen/
So kan sie freylich nicht vorbehen/
Sie muß dich mit noch größrer Ehr ergessen/
Und gar zu ihren Weisen sezzten.
Wohl/ werther Freund/ ich wünsche dir hierzu/
Daf lauter Glück in solcher Ehre sey:
Dein Palmzweig soll an diesem Ort bekleiben/
Und ewig unverwelcket bleiben.

Seinen vielgeehrten Freunde wünsche es
schuldigst

M. J. von Sütphen,



01 A 6574

ULB Halle


3

003 090 566



R. V D 17





I. N. S. S. T.
DISPUTATIO METAPHYSICA

De
**SIGNIS DISTIN-
CTIONIS REALIS TAM
VERIS QVAM SPURIIS,**

Quam
divina annuente gratia,
Benevolo Amplissima Facultatis Philosophicae indultu,
PRO LOCO
in Eadem Majorum more ritè obtinendo,

PRÆSES
**M. PETRUS Härtel / Alten-
burgensis Misnicus,**
RESPONDENTE

GEORGIO MICHAELE APIARIO,
Cahlâ Thur.
Ad d. Jul.
H. L. Q. Consuetis
publico eruditorum examini subijciet.

J E N Æ,
Literis WERTHERIANIS,
Anno M. DC. LXVI.

